



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 96. Leonis de Castro extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. III. de Simonia mentali. IV. De Latrocinio, V. de necessitate proximum suum ab injuria ipsi illata vindicandi. VI. de homicidio casuali. VII. de silentio intra officium divinum. VIII. De Regularibus, & alienatione bonorum ecclesiasticorum. IX. de Parochorum spoliis, & beneficiorum Ecclesiasticorum redditibus. X. De incompatibilitate beneficiorum, XI. Defensio apologiæ pro libro de redditibus Ecclesiasticis. XII. De fine actuum humanorum. XIII. De pœnitentia, Indulgentia, seu Jubilæo. XIV. De eleemosynis. XV. De Donis, & promissionibus pro obtinenda justitia, vel gratia. XVI. De lege pœnali. XVII. De precibus, horisque Canonicis: præterea scripsit quasdam juris prælectiones, & quinque libros Consultationum. Referunt nonnulli, quod hic Scriptor in Curia Romana Pœnitentiarius fuerit creatus eo tempore, quo Borromæus Cardinalis Majoris Pœnitentarii munus obibat.

§. XCVI.

Leonis de Castro extrema.

Poffev. l. c.
Nicol. 65
Dupin. l. c.
p. 470.
Morin. in
exercit. Bibl.
l. 12. exor. 1.
c. 2.

Prioribus hisce duobus Scriptoribus merito accensendus venit Leo de Castro natione Hispanus Vallisoletanus Canonicus, qui in Universitate Salmanticensi diu Theologiam professus, Doctoris-

ctorisque laurea decoratus non modo perfecta linguæ Græcæ, & hebraicæ peritia, sed etiam singulari sacræ Scripturæ intelligentia ex ipso primævo textu hausta celebre sibi nomen comparabat, ubi etiam textum Vulgatæ, & Versionis septuaginta Interpretum textui hebraico præferebat, atque utriusque textus apologiam concinnabat, edito quodam opusculo latino in sexdecim libros diviso, quo tamen aliis criminandi ansam præbebat, perinde ac si hebraici idiomatis peritia non nisi leviter tinctus fuisset. Ceterum in præfato libro suo satis aperte monstrabat, quod erga Rabbiorum opiniones, novosque sacri Codicis Interpretes pessime affectus fuerit: scripsit insuper commentarios in Isaiam, & Oseam Prophetas unacum quadam præfatione, in qua septuaginta Interpretum versionem, & vulgatam in illis locis, in quibus ab hebraico textu discrepant, vindicare aggreditur.

§. XCVII.

Guilielmi Eisengreinii mors.

Ad hunc annum Guilielmi Eisengreinii obitus, quamvis certum illius tempus ignoretur, haud temere conjici potest. Hic natione Germanus Spiræ in patria sua Canonicus erat, seque tam

Sæcul. XVI.
A.C. 1586.

Possev. l. c.
Dupin. 4.
part. p. 415.